

copia benedictionem impetrasset, eam his verbis concessit Isaac, *In pinguedine terra, & in rore caeli desuper erit benedictio tua.* Ibidem num. 39. In utraque benedictione Caeli benignitas, ac pinguedo terrae promittitur, cum hac tamen differentia. Iacob dicitur, quod accipiet à Deo: *Det tibi Deus de rore Caeli.* Non sic vero dicitur Esau. Sed nomen Dei tacetur; ait enim: *In pinguedine terra, &c.* Cur etiam in benedictione Esau nomen Dei non apponitur? Ipse valde diues futurus erat, ac proinde ex Dei dono, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos; quam ob causam nomen Dei tacetur in Esau? Omnia, quae Esau habuit, à nullo alio, nisi à Deo emanarunt; Deus autem per Prophetam Esau à se odio habitum declarauerat: *Nomme frater erat Esau Iacob? Esau autem odio habuit,* Malachias 1. num. 2. Amor beneficiis ostenditur, ne ergo Esau ex muneribus reputaretur dilectus, & ne Deus videretur sibi contrarius, cum eum à se dilectum donis declararet, quem verbis Prophetae odio habitum pronuntiaturus erat, ideo Deus profunda, ac alta sapientia sic dirigit calamum sui canonici spiritus, vt in Esau nomen eius subtrahatur, & aperte non scribatur. *Det tibi Deus de rore Caeli.* Ne de Prophetalis vaticinij veritate, quis vnquam audeat dubitare.

- Malach. 1. *Cui conseruitur dona, dilectus reputatur.*
- Ioan. 11. n. 4. Audiens autem Iesus dixit eis: infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.
- Num. 5. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.
- Num. 6. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.
- Num. 7. Et deinde posthæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum.

VERSIONES.

- Syriac. n. 4. Iste morbus lethalis non est, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei propter eum.
- Arabic. Cum audisset autem Iesus dixit eis: infirmitas hæc non est mortis.
- D. Hilar. lib. 9. Infirmitas hæc non est vsque ad mortem, sed pro gloria Dei, vt honorificetur Filius Dei.
- D. Ambros. Hæc infirmitas non est ad lib. 4. de Fide, mortem, sed pro claritate Dei, vt clarificetur filius eius per eam.
- Arabic. n. 6. Cum audisset, quia infirmus esset, tunc quidem mansit in loco, in quo erat.

Vatablus. Vt audiuit eum agrotare, tum quidem temporis in eodem loco duobus diebus.

Pagnin. n. 7. Post hoc dixit discipulis suis.

EXPOSITIO II.



AUDIENS autem Iesus. Verba nuntiorum relata ex parte Marthæ, & Mariæ, dixit eis, hoc nempe eis remittit nuntium, seu responsum, vt notatur D. Chrysof. Euthym. Theophyl. *Infirmitas hæc non est ad mortem.* Duo eis dixit ad magnam consolationem, vt notat Albertus Magn. Primum, quod infirmus liberandus esset ab infirmitate; secundum, quod ex tali liberatione magna gloria Filij Dei manifestabitur. Deinde cum ait: *Infirmitas non est ad mortem:* significat nihil sibi ignotum esse nuntiatum, siquidem optime esse agnoscebat morbum, eiusque conditionem. *Non est ad mortem.* Teste Ruperto, sic aliqui explicant. Mors Lazari, non est mihi mors, sed somnus, moxque illum excitabo tanquam è somno; communis tamen interpretatio est D. Augustini, D. Chrysof. Euthym. Albert. Magn. S. Thom. D. Bonauent. *Non est ad mortem.* Non enim morietur Lazarus ex hac infirmitate, sicut solent alij homines aegritudinibus mori, vt cito tamen reuocatus esset ad vitam.

Sed pro gloria Dei, ad amplificandam, & publicandam Dei gloriam; omnia sua ad Dei gloriam referebat, & quamuis, vt inquit D. Thomas, & D. Bonauent. ad hoc non ordinabatur morbus ex intentione causæ naturalis, ordinabatur tamen ex intentione Diuinæ Providentiæ, quæ sæpe effectus causarum inferiorum ad superiores refert fines, prout ei placet; vt glorificetur Filius Dei, seu vt legit D. Hilar. vt honorificetur, celebretur, ac credatur Filius Dei æqualis Patri, per eam: scilicet infirmitatem, ac illius sanitatem, & hic est genuinus sensus, nam multi videntes Lazarum suscitatum crediderunt Christum esse verum Messiam, ac Filium Dei, vt n. 45. dicitur: *Multi ergo ex Iudæis, qui viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.* Ex quo præclare D. Augustin. *Talis glorificatio non ipsius auxit, sed nobis profuit.* Nostrumque prouentum, suam glorificationem dicit. Aliter Andreas Cretens. relatus in Catena pro gloria Dei intelligit crucem, & mortem Christi, quem inuidi Iudæi ob suscitatum Lazarum sunt machinati, & hæc maximè Christum glorificauit, tamen prima sententia magis coheret literæ; secunda valde apta ad mores, nam principis gloria, ac glorificatio subditorum subleuata miseria. Vide multa in Indice verbo *Prælati.*

Diligebat Iesus Martham. Licet Dominus omnes familias diligeret, insigniter tamen dicitur, quod hanc diligebat, ob egregias virtutes harum sororum, & Lazari, & maximè, quia hospitales erant, ac inter se valde concordēs, ac vniti. Indagandum tamen; cur de hoc amore Euangelista hic facit expressam mentionem? Vt tanto testimonio de amore Christi illa familia nobilitaretur, & vt Euangelista confirmaret sororum verba: *Ecce quem amas, infirmatur.* Deinde vt docent Caietan. Tolerus, Maldonat. vt fieret manifestum,

21. Chrysof. Euthym. Theophyl. Alb. Maga. Rupert. August. Chrysof. Euthym. Alb. Maga. D. Thom. Bouauent. 22. D. Thom. Bopau. Hilar. August. Christus nostram utilitatem suam dicit glorificationem. Andr. Cret. 23. Caietan. Tolet. Maldon.

quod si Christus retardauit duobus diebus ire ad sanandum Lazarum, non fuisse ex defectu amoris, sed ex mysterio, vt maius, ac illustrius miraculum fieret. *Et sororem eius Mariam.* Martham hic prius ponitur, quam Mariam: *Quia,* ait Salmeiron tom. 6. tract. 43. *Christus hic potius agebat vitam actiuam, quam contemplatiuam.* Dico tamen, Mariam num. 1. præponitur Marthæ: *Quidam languens de Castello Maria, & Marthe.* Hic Maria secundo scribitur loco, nec enim semper vnus debet occupare primam sedem, sed etiam aliquando alius est deferenda, alitque communicanda; vicissimque primus locus distribuatur modò per Mariam, modò per Martham.

Vt ergo audiuit. Ex nuntio misso à sororibus Lazari. Tunc remisso nuntio, cum responsione data, quod infirmitas non esset ad mortem. Tunc quidem postquam sororum dimisit nuntios, mansit in eodem loco, addit Arabicus, in quo erat, trans Jordanem scilicet, id est, in Bethabara, tum vt hominum multitudini ad se confluenti satisfacere, demonstrans se verum esse Messiam, quod illustri miraculo voluit confirmare suscitato Lazaro non in domo, sed in sepulchro. *Diobus diebus,* post acceptum nuntium; nam Lazarus mortuus est, eo die, quo nuntij venerunt, postea mansit Iesus biduum, deinde altera die, qui quartus erat à morte Lazari accessit, eumque suscitauit.

Deinde posthæc, scilicet spatium duorum dierum, dixit Iesus discipulis suis. Ipse plus vult concedere, quam precibus expostulabatur, dum personaliter vult concedere, sorores visitare, ac præsentia sua recreare. *Eamus in Iudæam.* In regionem Tribuum Iudæ, & Benjamin. Strictè hic sumitur Iudæa, nam ab ea discessit Christus in festo Encænorum, in quo Iudæi Christum voluerunt lapidare, agebatur illud festum die 25. Mensis Castellæ, qui nostro Nouembri respondet; tunc abiit trans Iordanem Ioan. 10. n. 40. in regionem tribus Ioseph, ditionis Herodis, & permansit ibi ad hoc vsque tempus, initium nempe Martij. Aduertendum tamen est; quod non alibi monuit Dominus discipulos suos de profectioe in aliquod oppidum, vel prouinciam, vt modo facit in præsentij; erat enim eis Iudæa regio dura, ac periculorum plena; ideo de itinere voluit præmonere discipulos, ne si subito se viderent in periculo constitutos, animo caderent, ac nimis affligerentur, ideo hæc dixit, vt præuiso periculo minus perturbarentur. D. Chrysofom. homil. 61. *Quid tandem, ait, præter solitum hoc prædixit Iesus? Valde timebant, ideo prius admonet, ne repentino discessu perturbarentur.* Idem docent Euthym. Theophylact. D. Basilii Seleuc. orat. 40. *Eamus in Ierusalem,* vt bonus amicus ob salutem amici propria pericula contemnit, & vt bonus superior sua comoda subditorum vilitati postponit.

QUESTIO III.

Quare Christus Dominus per nuntium remittit sororibus, quod infirmitas non sit ad mortem, cum mortuo Lazaro maximè turbari possent?

26. **R**ER nuntium misit Dominus responsum sororibus, quod infirmitas fratris sui non

esset lethalis, atque ad mortem, cum autem nuntius abierit, ac domum Marthæ, & Mariæ intraverit, inuenit tunc Lazarum mortuum recentem, ipso nempe die, ac sorores eum lugentes, vt communiter notant Lucas Burgenf. vers. 6. & alij interpretes, ex quo sanè Christi verbo audito valde consequens erat, vt sanctæ illæ duæ sorores multum turbarentur, quod infirmitas illius non esset ad mortem, quem mortuum, & sepultum viderant; imò ex Iudæis multi, qui aderant, forte iriderunt, quod præuidens Christus contempsit, nec enim ob irrisionem, ac calumniam iniquorum, omittenda sunt ea, quæ expediunt; & factò miraculo à Christo, eorum irrisio magna confusione oppressa est. Ad quæstionem.

Respondet primò D. Chrysofom. homil. 61. *In quo, ait, id admiratione dignum est, quod audientes sorores infirmitatem illam non esse ad mortem, inde mortuum videntes non sunt scandalizate, cum contra accidisset, quam dixerat: sed ei obuiam factæ, neque mentium putarunt.* Fortè namque Maria, & Martham apud se dicebant: Magister nuntiauit morbum hunc non esse ad mortem; ac fuit ad mortem, mortuus est enim frater, & factò verba eius indicant, morbum non esse ad mortem sempiternam, fratremque nostrum saluum esse, ac proinde quamuis morte temporaria obierit, æternam vitam est assecutus, quod nobis magnam debet afferre consolationem.

Secundò, D. Basilii Seleuc. orat. 40. *Quare sorores illas, ait, admirari subintelligitur, licet, quod ubi inaudissent agrotationem non esse lethalem, ipsamque viderent emortuum, contrario rei euentu non sunt offensa, & sine mendacij suspitione ad Dominum adierunt.* Audiunt morbum non esse lethalem, & tamen eundem mortuum vident, ac vt mortuum lugent, & tamen velut contrario rei euentu, nec offensa sunt, nec leuem, mendacij suspitionem concipiunt; tam præexcellens existimationem, ac mentem de infallibili Christi veritate imbiberunt, vt potius sibi persuaserint eas Christum verba non capere, nec eius significatum intelligere, quam quod eis in mentem venerit sub verbis Christi aliquod latere potuisse mendacium, veracis enim viri tanta est reputatio, vt etiam manifesto rei euentu nunquam in verbis eius existimerent mendacium.

Tertiò, Ex ore Christi audiunt morbum non esse mortiferum, & cum videant mortuum: *Contrario rei euentu non sunt offensa, sed sine mendacij suspitione ad Dominum adierunt.* Sic enim hæc sorores erant firmatæ, ac corroboratæ in fide, vt nullus contrarius, ac tristissimus euentus earum fidem, quatefecerit. Mortuum vident, & tamen in Christi verbis, *infirmitas hæc non est ad mortem,* mendacium non suspicantur, sed firmiter illis adherent, creduntque verissima esse, licet modum, quo adimplenda sint, penitus ignorent, inde ipso contrario rei euentu maximè corroboratæ, cum audiunt Dominum adesse ei, vt vero Deo occurrunt, eique ait Martham: *Scio quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus,* infra num. 22. & iterum: *Credo, quia tu es Christus Filius Dei viui,* n. 27. Quod alibi dixisse non legimus; si autem dixit: *iam fecit quadriuanus:* hoc fuit ex impulsu Spiritus sancti, vt illustrius fieret miraculum, vt infra dicam.

Maximè extollit D. Paulus fidem Abrahamæ, qua Diuinæ promissioni credidit se filium habiturum, cum ipse & Sara essent senes, & steriles. Sic

Sakmeiron. Semper vnus non tenet primam sedem. 24. Arabicus. 25. Christus plus dat, quam ab eo petimus. Ioan. 10. Pericula præuisa tolerabiliora. Chrysof. Pro amico pericula contemnit. Euthym. Theophyl. Basil. Seleuc.

Luc. Burg. Irriſio iniquorum contemnenda. 27. Chryſoſt. Quomodo sorores verba Christi intellegebant. 28. Basil. Sel. In viro veraci contrario eius rei euentus non persuadet mendacium. 29. Magna fides contrario euentu corroboratur. 30.

Rom. 4.

Sic scribit ad Rom. 4. num. 18. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum Gentium. Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emoruum, cum sepe centum esset annorum, & emortuam vultum Sara, in repromissione etiam Dei non hesitavit diffidentia, sed confortatus est fide. Lege D. Chrysostrum: Roboratus est fide. Cum tota ipsa vi naturae, quae obstitabat, ac repugnabat promissioni, ut Abrahamus haberet filium, illius fides non esset immutata, nec deficeret, sed ipsa contrarietate legum naturae, cum corpus esset emortuum, sepe centum annorum roboratus est in fide.

Chrysostr. Obstitentia verum corroboratur fides.

Occumen.

Oecumenius: Multa quidem, ait, imbecilla erant, & quae fidem illius imbecillum efficerent, verum ad nihil horum infirmatus est generosus animus: sed roboratus est fide. Obstitentia, ac repugnantia generosus animus roboratur, ac firmatur.

32.

Tres illi Sidrach, Misach, & Abdenago victi trahuntur, eo quod statuum auream Nabuchodonosoris noluerint adorare, quibus ait Rex, & quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea? tunc valde animose respondent tres illi iuvenes: Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, o Rex, liberare, quod si noluerit, notum sit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuum auream, quam erexitis, non adoramus, Daniel. 3. num. 17. Magna fide coram rege fatentur supremam Dei potestatem, qua eos ab omni periculo, ac morte imminenti potest liberare, quae confessio magnae fidei est, ut testatur D. Cyprian. Epistol. 56. ad Thibartanos: Hoc est, ait, robur virtutis, & fidei credere, & scire, quod Deus a morte presente liberare possit, & tamen mortem non timere, nec cedere, ut probari fortius fides possit. At verò inquit, si Deus noluerit nos liberare, sed ex alta providentia permiserit, ut in camino ignis pereamus; hoc casu relinquemus, nec Dei legem, ac idola adorabimus? Minimè. Sed tunc ipso contrario euentu fortiores, ac robustiores probati in fide aperto, & alto ote testificantur: Notum sit tibi, o Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuum auream, quam erexitis, non adoramus. Magna fides non dependet ex euentu, sed contrarietate firmatur: Ut probari fortius fides possit.

Cyprian. In contrario euentu fortius probatur fides.

33.

Matth. 8.

Nauigabant discipuli cum suo Magistro Iesu: Ecce motus factus est magnus in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum, & excitauerunt eum discipuli dicentes: Domine salua nos perimus. Et dicit eis: quid timidi estis modicae fidei? Matth. 8. n. 24. Modicam discipulorum fidem arguit Dominus, eo quod timuerint saeuientem maris tempestatem, ventorum confusionem, ac aquarum tumultum, sed cur eorum fidem, ut modicam dicitur Dominus, cum timuerint in tam manifesto periculo, ita ut nauicula penè submergeretur, ac operiretur fluctibus? Merito sanè. Nam timore correpti, clamauerunt: Domine salua nos, perimus; & eam fidei magnitudinem Dominus in suis requirebat, quae contrario euentu non perturbatur, ac commouetur, sed potius magis corroboratur; ipsaque rerum aduersitate, ac commotione non timeat, sed potius magis firmetur: Robusta enim fides nil timeret, securam spem habet. Et quid firma fides timeret, cum secum omnium Dominum haberet?

Robusta fides in nulla aduersitate timet.

Basil. Seleuc.

D. Basil. Seleucus orat. 22. O dignas Domino voces, ait, vult fidei vim rebus conditis esse valentorem, & ad fidei presentiam omnem ab anima desperationem eliminari.

QUESTIO IV.

Quare cum Iesus diligeret sorores, & Lazarum, audita tamen eius morte moratur duobus diebus?

It Evangelista: Diligebat Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum, ut audiuit ergo, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem duobus diebus. Expendenda est structura, ac consequentia verborum si diligebat, audita Lazari infirmitate, quomodo mortis trahit? verus amor non languet, cum dilectus languet, sed maxime intendit rumpere omnes difficultates, ut dilecto celeriter subueniat; quid est ergo, quod languente amico, Christus diligens mortis nequit?

34. Ratio diffcultatis.

Respondent primò. D. August. tract. 49. Distulit sanare, ut posset resuscitare. D. Chrysostr. hom. 61. Quae gratia, ait, mansit in eodem loco duos dies? ut expiraret, & sepeliretur, ne quis posset dicere, quod nondum mortuum suscitavit: ideo tandem moratus est, ut dicerent, iam fecerat. Disponebat Christus Dominus facere illusterrimum miraculum, noluit ergo agrum sanare, aut mortuum domi iacentem suscitare; sed mortuum quatuoriduanum fetentem, ac sepulturae mandatum voluit in vitam reuocare; & accepto ergo nuntio infirmitatis, manet trans Iordanem duobus diebus, ut interim dum ibi est, dumque iter facit in Iudaeam, Lazarus è vita discedat, extra domum efferatur, & sepulturae mandetur, ut omnes Iudaei ex ore Marthae audiant: Domine iam factet, quatuoriduanus. Ut ex tanto miraculo magna proueniat Dei gloria, ipsisque Iudaeis magnus stupor, & admiratio, ut impia eorum ora claudantur; nihilque habeant, quod detrachere, vel deprimere possint in opere. Vide cap. 5. n. 54. 55. 56. & cap. 18. n. 154.

35. August. Chrysostr.

Moratur pro maiori Dei gloria, & ut magis confundantur inimici.

35. Chrysol.

Secundò. D. Chrysol. serm. 63. Christus, ait, cui plus est mortem vincere, quam remouere langorem; cuius amare illud est, non ut dilectum alleuet, sed ab inferis, ut reducat: dilecto non langoris medicinam, sed resurrectionis gloriae mox parauit. Differt Dominus, morti praebet aditum, ut moriatur infirmus; intimo amico noluit paruum sanitatis donum concedere, sed maluit parumper expectare, ut magnum resurrectionis munus elargiatur illi. Non enim contenta est Diuina bonitas, si amicum è langoris molestiis absoluat, nisi eum etiam è mortis visceribus, & gloriosorem sui in illum amoris titulum inscribat. Vide supra cap. 21. num. 2. & cap. 27. n. 97. & cap. 39. num. 69. & 70.

Diuina benignitas non paruum, sed multum vult elargiri.

36. Chrysol.

Tertiò. D. Chrysol. proxime citato loco: Videris, ait, quemadmodum dat locum morti, licentiam dat sepulchro, corruptioni posse permittit: negat nil putredini, nil foetori: atque ut tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit: atque agit, ut humana spes tota pereat, & tota vis mundana desperationis, accedat: quatenus quod facturus est, diuinum sit, non humanum. Cur per duos dies cunctatur Dominus, & non statim occurrat, ut langori succurrat; expectat tamen, ut amicus moriatur, corpus terrae mandetur, atque quatuoriduanum fetore, ac putredine repleatur? Distulit Dominus sanare, ut doceret sperare; cum omnino in humanis spes periit, tunc elucet diuina pietas, ut inde hominum fiducia stimuletur ad Deum, quod cum deplorata est res humana, tunc opportunum adest Dei

Cum nulla est spes humana, tunc adest Dei auxilium.

Dei auxilium: At que agit, ut humana spes tota pereat, & tota vis mundana desperationis accedat: quatenus quod facturus est, diuinum sit, non humanum. Quando iam fororibus omnino erat spes humana interclusa, & res videbatur irremediabilis, tunc adest Christi manus à mortuis excitans, & viuuum reddens, ut totum videatur diuinum opus.

37.

Psalm. 106.

Multus est Regius Vates in referendis laboribus, calamitatibus, ac aerumnis, quas filij Israel in deserto pertulerunt. Psalm. 106. Errauerunt in solitudine, in iniquo, num. 4. Degebant errantes in deserto via insolita, & non trita, aspera, & incomposita. Viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Seu ut alij legunt, ciuitatem habitabilem non inuenientes, in qua requiescerent. Esurientes, & sitientes; anima eorum in ipsis desecit, num. 5. praefame, ac siti anima eorum deficiebat. Sedentes in tenebris, & umbra mortis, num. 10. Hoc est, ut explicat N. Incognitus, Lorin. & alij versantes in manifesto periculo imminentis mortis. Vinctos in mendicitate, & ferro. Allusio fit ad carcerem; sic vndique erant malis circumdati tanquam vincti, ac ligati, ut explicat Genebrardus manicis, ac compedibus ferreis. Infirmati sunt, nec fuit, qui adiuuaret, num. 12. Ex confederatis sociis, ex tot, tantisque pressuris, ac malis vndique irruentibus, quid consecutum est? Clamauerunt ad Dominum, & liberauit eos, num. 13. Cum vndique omnia humana deficerent, nullaque in humanis esset adiutorij spes: Nec fuit, qui adiuuaret. Cum clamassent ad Dominum, statim adfuit diuinum auxilium; pulchre D. Gregorius Nazianzenus tractat. 1. in Psalm. Separatio ab omni subsidio cessit illis in auxilium. Quod nullum in humanis esset subsidium sollicitauit diuinum auxilium.

Incognit. Lorin.

Genebrard.

Definito ab auxilio humano adest Dei auxiliu.

Nazianz.

38.

Daniel. 3.

Ex imperio Nabuchodonosoris furentis tres pueri ligatis manibus, ac pedibus, coniciuntur in medium fornacis, quae plus solito succensa erat nimis, cumque illi essent in medio fornacis. Ecce Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & exclusit flammam ignis, Daniel. 3. num. 49. Dispositum erat diuina providentia, ut ministerio Angeli pueri liberarentur; cur ergo non occurrat Angelus quando comprehenduntur, vel quando astant coram rege crudeliter saeuiente, seu quando ligantur, vel ad fornacem feruntur? Sed cum sunt in camino ardenti, tunc adest Angelus, quando astant coram rege, vel ligantur, poterat esse aliqua spes humana, & quod furor regis quiesceret; ac cum sunt in medio fornacis ardentis, res vndique erat circumsepta, & aduersa potestas, omnem vim suam excreuerat, ac euacuauerat, ut nihil haberet iam quod aduersus illos efficeret, nullaque in humanis erat spes, vel subterfugium; tunc adest auxiliatrix Dei manus, & flammam exclusit, & suos pueros illaefos conseruat: gaudet enim Deus tunc suam virtutem declarare, suisque subuenire, cum res in humanis est deplorata, ac conclusa. D. Chrysostrum homil. 6. ad Populum: Voluit Rex, ait, ipsorum urbem euertere, & Dominus non prohibuit: voluit captiuos ducere, & non impediuit: voluit ligare, concessit; in fornacem iniicere permisit: flammam ultra modum succendere, & hoc demisit. Et quando nihil reliquum fuerat, sed omnem vim tyrannus exhauserat, tunc suam Deus virtutem monstrauit.

Cum destituuntur humana, subuenit Dei auxilium.

Chrysostr.

39. Thien. 3.

De captiuitate Babylonica cum extrema oppressionem loquens Ieremias ait: Conclusit meas Sylueira in Euang. Tom. IV.

vias lapidibus quadris, semitas meas subuertit, Thienorum 3. num. 9. Quae verba sic transferunt Septuaginta: Daleth circumdificauit vias meas, obstruxit semitas meas. Id est, vndique meus inimicus firmissimo muro ex lapidibus quadratis, fortissimis nempe me circumscripsit, ac vallauit, ut nulla mihi esset spes euadendi, quo possem egredi, ac pedem mouere. Perpende tamen, quod iuxta Septuaginta praefigitur littera Daleth. Quae interprete Beda significat ostium; vt denotaretur, quod in tanta conclusione aduersariorum, ita vt nulla esset effugij spes, adhuc erat ostium apertum ad sperandum in Dei adiuuamine, ac si ex tanta reclusione contrariarum magnum aperiretur ostium ad sperandum in Deum. Huc aduoco id, quod dixit D. Ambrosius serm. 19. in Psalm. 118. Concluditur vnusquisque, intercluso spiritu commeatu, sperandi, ac respirandi commercia coarctantur: Iustus semper sperat, & in aduersis positus, & frequentibus afflictus aerumnis.

Septuag.

Beda.

Cum conclusa dicitur spes euadendi, ostium diuini adiui in eis aperitur.

Ambros.

Ioan. 11. n. 8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc querebant te Iudaei lapidare, & iterum vadis illuc? Num. 9. Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horae diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt. Num. 10. Si autem ambulauerit in nocte, offendit; quia lux non est in eo.

VERSIONES.

Syriacus n. 8. Magister noster, modò Iudaei querebant te lapidibus obruere, & rursus illuc abis? Chrysostr. homil. 61. Modo illic eras, & querebant te lapidare. Syriacus n. 9. Dixit eis Iesus: Nonne sunt horae duodecim in die? si quis ambulauerit interdiu, non impingit, quippe, qui videat lucem mundi huius. Pagninus 10. Si quis autem ambulauerit. D. Ambros. Qui ambulat in tenebris, in icopum offensionis incurrit.

EXPOSITIO III.

ICVNT ei discipuli. Memores crudelis odij Iudaeorum in Iesum. Rabbi, id est, vt transfert Syriacus, Magister mi. Nunc, id est, vt legit Chrysostrum, modò. Cum tamen, vt notat Euthymius, paulo ante, factum fuisset. Nam Iudaei noluerunt lapidare Christum in festo Encaniorum, Ioan. 10. num. 31. Quod festum respondet

40.

Syriac.

Chrysostr. Euthym.

Ioan. 10.